

V I R O
M A G N I F I C O

P R Ä E N O B I L I S S I M O a t q u e C O N S U L T I S S I M O

D O M I N O



A C O B O



E N R I C O



E R N E K E

H U C D U M

O R D I N I S A M P L I S S I M I C O N S U L A R I S

S E N I O R I G R A V I S S I M O

P A T R O N O E T F A U T O R I S U O

C E R T I S S I M O

L O N G E Q V E C O L E N D I S S I M O
C V M

P R Ä E C O N S V L a t q u e P R Ä E S E S
R E I P V B L I C A E T H O R V N E N S I S

A. O. R. M D C C X X I I I . d. 9. Martii
F E L I C I S S I M I S P R O C E R V M S V F F R A G I I S

A T Q U E
E X V O T O B O N O R U M O M N I U M

C R E A R E T V R
G R A T V L A B V N D V S A D P L A V D I T

C H R I S T O P H O R U S A N D R E A S G E R E T , F r a n c u s ,
Ecclesiastes ad B. Virginis Templum.

Thorunii ex Officina Johannis Nicolai, Nob. SENAT. & Gymnas. Typogr.



ene ac sapienter olim, dicente gravissimi viro judicii, C. Plinio, in illa prudentiae ciuilis imperiorae penu, Romani instuerunt, ut rerum agendarum omnium primordia a precatiōibus caperentur, quod nihil rite nihilque providenter homines sine Dei immortalis honore, consilio, ope, auspiciantur. Qui mos cui potius, quam Christianis rerumpubli- carum rectoribus? aut quando usurpandus magis est, quam cum quis se publicae salutis recens admotum videt gubernaculis? Cum enim in procuratione reipublicae conflictandum saepissime sit cum rerum temporumque difficultatibus, quae humano explicari ingenio non possunt; tunc a summo rerum Arbitro praesidium fortunae est petendum, eiusque sapientissimo moderamini salus reipublicae relinquenda committendaque. Quo simili edocemur, quanto plus spei moderatori reipublicae in coelesti auxilio est collocandum, tanto sanctius eundem vim potestatemque Numinis divini colere debere, nihilque pii sanctitate animi ducere antiquius. Hoc mentis in Deum conversae sensu ducti si fuerit civium rector, ab eo, nisi publice fructuosum, nihil expectari potest. Quo maiori enim religione supremum illud DEi numen reverebitur, eo studiosius cavebit, ne quid ulla in parte respublica detimenti capiat. Pietate vero, ut præclare & sanctissimæ nostrae religioni convenienter, ille Romanæ eloquentiae parrens, Tullius, ait, adversus Deum sublata, fides etiam & societas generis humani, & una excellentissima virtus, justitia tollatur necesse est. At quantum, justitia exspirante, rerum omnium exsurgat chaos, & moles quasi rufis indigestaque, quis necrit? expellitur ex foro fides, venalis existit sententia, bonis nec præmia nec honores, petulantibus nulla statuuntur supplicia, studia bonorum languescent, crescit indies malorum improbitas, nihilque ad bonæ mentis conscientiam dignitatemq; retetur, ad quæstum cuncta; largitiones, partium studia, corruptelæque introducuntur, & ut una, quod aiunt, fasce omnia complectar, nihil mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod non, sublata pietate & justitia, concipiatur in respublica. Quod quidem cum reputarent secum nonnulli, eo progressi sunt, ut ad rempublicam ex utilitate omnium administrandam, ne quidem eruditione opus esse adfirmaverint, quod, vel sola illa virtutum omnium regina, pietate, vera nec dubia conciliari possit reipublicæ salus. Nec potest in dubium vocari, saepius ad optimum reipubl. regimen, plus pietatem sine doctrina, quam sine pietate valuisse doctrinam. Et in promptu est, ne longius evagemur, exemplum domesticum excellentissimi cuiusdam ex mercatorio ordine Praeconsulis Thoricensis, qui sine doctrina scholastica, per solam probitatem, felicissimus extitit reipublicæ nostræ moderator, &, quod maxime notatu dignum, tempore difficillimo, atque quo nullo præter ipsum nostra gaudebat Civitas Praeconsule, & sic omnibus satisfecit officiis gravissimis, ut laudes eius nulla unquam obscuratura sit oblio. Ut proinde, si detur optio, utrum malimus Consulem litteris imbutum, simulque tamen pietate & religione adversus DEum omni exutum, an vero pius, literarum expertem vero? nullus dubito, quin omnium bonorum consensu posterior eligitur. Licet enim egregia res sit eruditio; longe tamen est excellentior pietas præstabiliorque, quia animum literis habere exultum, ad paucos pertinet; pie autem ac bene vivere ad omnes; immo, omnis tam divinarum quam humanarum rerum scientia, demta pietate, est venenum; & quantum doctrina cum pietate coniuncta emolumenti reipublicæ adfert, tantum eidem nocet, si careat ea; rerum enim magistra experientia constat, viros cetero quin doctissimos, in pietatis auctoritate & reverentiæ erga Deum officio remissos, tetras infestasq; reipubl. extitisse pestes, quoque doctiores, eo perniciosiores fuissent, cum virtutis subsidiis & instrumentis in perniciem civium uterentur. At enim vero, cum ad pietatem eximiam atque non fucatam accesserit ratio quædam confirmatioque doctrinæ, tnm illud sane præclarum ac singulare reipublicæ bonum solet existere. Sic pietate atque litteris exornato, qui rerum potitus est, comperimus id, quod mente tantum concepit antiquus ille græcus ingenii atque sapientiae princeps: tum beatas fore respublicas, cum aut rerum potirentur sapientes, aut se, qui rerum potiantur, sapientiae dedant. *Nemo autem est sapiens, qui non etiam sit pius.*

Ex hoc esse hunc numero, quem civitas nostra recens creatum veneratur
Praeconsulum & Praefidem, Virum Magnificum, Pranobilissimum, atque Consultissimum, Domi-

IACOBVM HENRICVM ZERNEKE, nemo nisi a litteris & pietate alienus inficias iverit. Hinc facile licet ominari atque augurari, felicissimum Tuum, *Deo dilecto ZERNEKE*, futurum fore regimen. Tam conspicua Tua est pietas virtutæque probitas, ut ne livor quidem ipse quid in te reprehendere audeat. Cui non in patria civitate cognita est tua sancte integreque vivendi ratio, ab ineunte ætate a te suscepta, & per omne vitæ tempus perducta; quæ tanto evasit illustrior & magis conspicua, ex quo ad rem publicam accessisti. Venit iam mihi in mentem recordari amplissimi illius diligentiae iuxta ac pietatis Tuæ academicæ testimoniæ, a celeberrimo consummatissimoque illo Theologo, *Johanne Fechtio*, cum eum per Rostochium aliquando contendens convenire, dati, quod plane singulare fuit & omni alia laude maius. Quam multum autem olim laboris atque industriæ, tam Lipsiæ, quam Rostochii, & sacræ & profanæ impenderis litteris, quantoq; in iis feceris progressus, palam ostendisti, tam in dissertatione illa subtilissimi argumenti proprio marte elaborata, *de statu infantium gentilium in infantia decadentium*, tam in illa perquam ingeniosi thematis, *de milite desertore*, cum castra Theologorum, non temere quidem, sed ex causis gravissimis deseruisses, & ad Iuris Consultorum transiesses. Vmbratica vero cum hæc Tibi viderentur omnia, nisi experientia accedit ususq; rerum, in lucem prodire, & varia regna, resq; diversas publicas perlustrare, Tua maxime interesse putas. Nec in eo Te, Vir gloria cumulatissime, Tua fecellit opinio. Cum enim Poetarum Coryphæus, Homerus, Vlysses suum amplissimis in cœlum ferre decrevisset laudibus, illum a peregrinatione primum laudavit, ut plurimarum rerum peritissimum ostenderet; Sic enim, ab Vlyssis nomine quod inscripsit opus, inchoavit:

*Dic mibi Musa Virum, capta post moenia Troja,
Qui mores hominum multorum vidi & urbes.*

Quamobrem Tu, Vir veræ sapientiæ studiosissime, præter Germaniam, Poloniā, Prussiamq; etiam Daniam, Angliam, Belgium & Hungariam es peragratus, in quibus regionibus dum commorari Tibi datum, quanta ex tam variorum hominum confluxu obtulit se in omnigena rerum scientia proficiendi occasio? quantum studiis accessit decus? quanta animo reipublicæ regundæ prudentia? Redux itaque ad patriæ lares factus, atque iam inde ab A.R.S. 1699. negotiis publicis admotus, & a Secretis civitatis nostræ constitutus, tuæ non tantum, quæ inter præcipuas floret, familiæ, sed etiam publicæ rei, ostendisti, nihil nisi præclarum a Te expectari debere. Hinc subsequutum est postea tempus illud, quo propter eximiam scientiam, integratem, atque in patriæ iuribus notitiam, scabinorum Magister creareris, ac denique A. 1713. in illustrem Senatorii Ordinis Confessum recipieris. Omnes ergo ampliss. munierum gradus, 24 ann. spatio exegisti, tantamq; longo rerum usu Tibi comparasti prudentiam, & rerum agendarum dexteritatem, ut quid expediatur civitati nostræ, quid minus, nemo facile melius Te discernere posse existimem. Quod etiam eo minus illis mirum videbitur, qui mirandam tuam in historia patriæ norunt notitiam, ad quam excolendam & quotidie magis illustrandam, tediuno quasi consilio procreatrum esse videris. Tantum in hac uales, & tot documenta non vbique obuia incredibili prorsus studio & labore collegeristi, ut, secundum illud inclutæ Reipubl. Gedanensis decus & ornamentum, *Magnificum & Generosum Dn. Albertum de Rosenberg, & Prænobilissimum Dn. Braunum, Potentiss. Borussorum Regi & Consiliis aulicis*, Historiar. & antiquitatum patriæ peritissimos, & documentis schedisq; rarioribus ditissimos, neminem, quod sciām, ex aetate tuæ habas parem. Quapropter etiam laudato humaniss. & amiciss. Rosenbergio tuo, nihil est gratius, quam hisce de rebus quam saepissime per literas tecum colloquendi. Intelligimus, Vir ad vindicandam ab oblivione patriæ historiam genite, quantum Tibi vel pro fragmentis illis ex thesauro Tuо historico depromtis, & in quantum prudentiae fuit, publici iuris factis, debeamus. Quanta rerum caligine sine illis circumfunderemur, neminem, nisi invidum & malevolum, latere potest, qui vel Nucleum Chronic Thorunici, nec minus Thorunium obsecsum, ut alia faciem plura, inspexit. Est præterea hæc indefessa Tua diligentia, quæ facit, quod præter ceteras maximi momenti occupationes, quibus distractus es assidue, ad hoc usq; tempus, quicquid hæc in nostra civitate notatu dignum accidit, maxima sedulitate & fide litteris confignare non gravaris. Sed quo parciores sunt, qui tantam hisce in rebus adhibent diligentiam, & quo ægrius eorum, quæ jamjam a te sunt

funt notata, subsidio, nos & posteri nostri aliquando carere poterunt, hoc majores
tibi habendæ sunt gratiae, cum in primis spes sit, te supplementa typis iam destina-
ta brevi benevole nobiscum fore communicaturum. Cum igitur tanta scientia,
experientia, & assiduitate, & quod omnium virtutum caput est, [etenim, ut Po-
eta canit: virtutes pietas in se complectitur omnes] tanta in Deum religione adhuc
vitam transegeris, *Praeconsul coelo commendatissime*, maximam profecto spem parit no-
bis *Praeconsulatus tuus auspiciatis simus*, Te videlicet, ut breviter dicam, talem fore,
qualem sibi omnes boni dari exoptant. Praeclare enim olim ille rationis & oratio-
nis pulchræ magister gravissimus Plato; quando Deus, inquit, civitati benefacere
cogitat, viros præstantes ei concedit. Si ergo huic civitati nostræ hisce temporibus
quidquam Dei beneficio & munere datum fuit, quo merito gaudendum esse vi-
deretur; Id profecto nobis accedit his diebus, quando tot viros omni laude dignos
multaq; virtute cumulatos respublica nostra nacta est, & in primis *Zernekiūm* felicissimis Magnif. Senatus suffragiis, & tanto & universo bonorum omnium ap-
plausu, inter primos Patriæ Patres videt collocatum, publicæq; rei hoc anno re-
gundæ præfectum. Gaudete itaque vice vestra, o mei charissimi Thorunenses, gau-
dete vestro tam pio tamq; solerti *Praeconsule & Præside*, qui una cum reliquis probis
providisq; Patribus conscriptis prospiciet, quo nobis omnibus securis atq; felicibus
esse liceat. Dum autem iubilant omnes, tantum profecto abest, ut aut communis
sensu gaudii caream, aut eiusdem voluptatis ex rebus tam secundis perceptæ fructu
ac magnitudine, ulli cedendum homini statuam, ut Deo immortali, cuius auspicio
Praeconsul Thorunensium rite es consecratus, *Vir bonarum mentium amantissime*, agam
maximas, maximas habeam merito gratias, & pro salute tua mihi multo charissima
& magnis perpetuisq; domus Tuæ splendidissimæ incrementis, preces fundam
quam devotissimas. Hoc autem nisi facerem, vix videor ingratius suspicione absolven-
dus. A quo enim tempore aditum mihi homini extraneo atq; nullius in Te meriti ad
benevolentiam tuam concessisti, me etiam, quibuscumque potuisti rationibus,
ornasti, adjuvasti, atq; defendisti. Verum enim vero, quia animum tuum tantum
ab ambitione abhorreto sentio, quantum a moribus meis est alienum, favorem ali-
cuius adulazione aucupari, nolo præconio virtutum tuarum tuorumq; in me meri-
torum, modestiæ iam tuæ esse gravior; potius, cum iam capis, quod felix faustumq;
sit, publicæ salutis gubernacula, ut omnia bene ac feliciter eveniant reipublicæ, Ti-
bi & nobis, vota suscipiam quam religiosissime. Precor itaq; ac voveo, ut Sapientia illa
per quam, ut ipsa apud Regem, post homines natos sapientissimum, loquitur, legum
conditores jura describunt, per quam principes imperant, & potentes iustitia fun-
guntur, tecum domi forisq; sit ac labore. Condonet Tibi benignissimum Numen
vires animi corporisq; invictas, ut tanto oneri sustinendo Te novo indies robore
coelitus suffultum deprehendas: qua ratione Deo semper sua constabit gloria, ec-
clesiæ & populo sua salus, Tuq; *Praeconsul recens create, florebis autoritate, meritis,*
gloria laudibusq; Perge modo *Pater Patriæ*, & maëste pietatis gloria, quam huc dum es
consecutus apud omnes; persta una cum *Magnifico Ræsno nostro, Prae side in Sacris gra-*
vissimo, colendissimoq; quem Deus amet, fulciat, & in seros nobis concedat annos! perita
inquam, in ista ratione propositi, qua fuisti adhuc comes laudati moderatissimi ordi-
nis nostri *Moderatoris*, erga sanctissimæ religionis interpretes eosq; favoreatq; bene
volentia tua amplecti nunquam desine, nec respice illos religionis & pietatis deri-
fores, qui sanctioris doctrinæ doctores quavis occasione traducunt, mussitantq;, pie-
tatem & religionem colere eiusq; doctores amare, rem esse superstitionem (bigote-
rie vocant) & sapienti viro, seu ut ipsi loqui amant, fort spirit indignam; iterumq;
tibi habeas persuasissimum, me cum Collegis meis, qui reverentia & pietate erga
Superiores nemini, quisquis hic cuiusve fuerit, concedimus, suscepturum fore pro
salute tua, fortunaq; Procerum, totiusque Reipublicæ preces quam ardentissimas
Praesta, quæso, benignissime Deus, ut hic noster Praeconsul ad conservandam au-
gendarique patriæ salutem creatus vivat, vigeat & floreat, ut, quoties in reliquum
Praeconsul pius, felix, inclitus, nervosè sit appellandus, admiratione nominis in loquen-,
dij consuetudinem versa, Zerneke, quidam appelletur; quoties ex altissimofortuna lo-
ci, Par, & conjugum & parentum, longe fortunatissimum nominandum posteris,

ZERNEKE & CONCORDIA

nominetur!

113406